

ras. Stabit Sarmaticum Jus integrum. Æternùmque stabit Lechiæ  
Suprema gloria, atque intaminatis illæsa fulgebit honoribus, etiam  
Brandenburgico Coronato.

Extollat (Quid Nostrâ interest? Quid Nobis officit?) excel-  
sum caput; Æqualis Astris incedat. Attollat etiam Persicam, si  
Diis placet, Thyaram & Cydarim. Quid nobis indè peribit? aut  
minuetur?

Numerum auxit Regum. Nobis detraxit nihil. Credite  
Sodales. Polonica Magnanimitatis est, alieno bono non succen-  
sere, sed suffragari. Sordidum reputamus veri Poloni ac prorsus  
Indignum, aliis invidere quamdiu minimè nocent. Neque Ocu-  
lus Noster malus esse debet, quia fata Amico Regi bona fuere,  
atque propitia.

Imò nostrum est decus, ac Magnum Polonæ gloriæ incre-  
mentum, si benè sapiamus nobis, Regnare Brandeburgicum, &  
Regem Prussiæ appellari, non Ducem.

A nobis quippe habet quod regnet, cum à nobis habuerit  
quod sit Supremus. Ideoque & Nostra Sarmatia modestè gloriari  
poterit, post Divinam Sapientiam, de qua dicitur: Per me Reges  
Regnant.

Ità est Poloni. Creavimus Regem, quando in Bydgosstiensibus  
Pactis declaravimus Independentem Dominum Prussiæ, peni-  
tus absolutum omni Clientelari obsequio, & in suâ Prussiâ cum suis  
posteris omnino Supremum. Rex est reipsâ, quocunque vocabulo  
appelletur, quicumque neminem suprâ se agnoscit, nisi solum  
Deum; dummodo Majestatem firmet Potentia, & Numerus Pro-  
vinciarum; Potentiam alant opes, atque illustrent Suppares Regi,  
& populorum acclamet assensus.

Jam erat Rex, priusquam Rex esset, ac nuncuparetur. Hunc  
Amplitudo Provinciarum, ab ultimo fere, Baltico ad Germani-  
cum Oceanum, quæ totum propemodum secant Imperium, Po-  
tentissimis æquarat Regibus.

Hunc præclara merita servatæ difficillimis temporibus, inter  
rot clades atque discrimina Reipublicæ, volente, suffragante, ad-  
stipulante Poloniâ, Spondentibus Coronarum Arbitris, seu Media-  
toribus, evexerant ad Supremi Prussiæ Dominatus Culmen atque  
fastigium. Opus ergo manuum Nostrarum est quæcunque in illo  
Majestas Pruteno Regia nitet.

Nobis debet quod Prussiæ populi, laudabili plausu atque Con-  
sensu dixerint Regem; Cum nobis debeant populi, quod subje-  
ctionis nostræ vinculo absoluti, potuerint dicere Regem. Itâ Galli,  
Bri-